



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. In pactionibus initis inter sanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem
Britanniae jus Regaliae huic Duci conservatum est in episcopatibus illius
provinciae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, sedibus ipsarum Ecclesiarum vacantibus, jure suo feudali & regio, à quo jus suum movet; & ideo jus regale vocatur. Quo jure dicti Barones utuntur nominibus suis & nomine regio, & usi sunt tanto tempore de cujus initio memoria non existit.

Ceterum in his articulis enumerantur Barones ecclesiastici qui Regalia Ecclesiarum in feudum tenent à Rege. Adducitur exemplum Ecclesiarum Lugdunensis & Augustodunensis, ad quas vicissim pertinet usus fructus Regalium, quando sedes earum vacant. Episcopos verò illarum Ecclesiarum in feudum tenere à Rege mutuum hunc Regalium usum fructum.

VI. Quoad Barones verò seculares, legimus in pactionibus initis anno MCCCXXI. inter sanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britanniae, jus Regaliae ei Duci conservatum fuisse in episcopatibus illius provinciae. *Jus Regalia, quod in suis Ecclesiis cathedralibus habere dicitur.* Jus tamen illud coercitum erat ad usum fructum reddituum temporalium, excluso prorsus jure conferendi Beneficia; ut patet ex constitutione Caroli sexti eam in rem edita.

VII. Nam de Rege Navarrae, qui Comes quoque Campaniae erat, legimus in arresto Parlamenti Parisiensis lato anno M C C L X I X. eum, vacante sede episcopali Trecentensi, Regaliae jure usum fuisse. Anno dein M C C L X X V I. Regalia duarum villarum ad Episcopum Lemovicensem pertinentium adjudicata fuit Vicecomiti Combornensi, sede episcopali vacante; repulsisque eodem arresto constat ministros regios, qui harum villarum fructus occupaverant. Quare fallitur Chopinus, dum ait Regaliae Lemovicensis fructus eodem Senatus Parisiensis decreto depositos esse sequestrò, pendente litigio, penes Vicecomitem Combornensem; cum constet eos illi adjudicatos fuisse, sed in iis tantum duobus locis. Regi namque conservatus est usus fructus quorundam aliorum fructuum.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

TOT argumentis probavit illustrissimus Archiepiscopus Comes quoque & Duces jure investiturarum, atque adeo Regalium, usos fuisse in Gallia, ut inutilis futura videatur omnia opera quae in hoc ponetur. Sed tamen praetermitti non debet insignis locus Arnulphi Episcopi Lexoviensis: qui in epistola ad Lucium Papam, edita in tomo secundo Spicilegij, docet Comitem Andegavensem per bien-

nium & amplius occupasse bona episcopalia Ecclesiae Lexoviensis, eo praetextu, quòd Arnulphus electus ac consecratus fuisset absque designatione Comitis: *Bona omnia episcopalia redimere de manu Comitis Andegavensis angebar, quae ipse mihi per duos annos & tres menses abstulerat, quia electus canonice sine ipsius designatione fueram consecratus.* Et divus Bernardus Abbas Claravallensis ad Innocentium secundum Papam scribens pro Arnulpho Lexoviensi Episcopo electo, acriter exagitat Comitem Andegavensem, quem oppressorem pacis & libertatis Ecclesiae vocat, ob hoc quòd Arnulphum in ovileingredi non pateretur per viam rectam. Extat autem ea Bernardi epistola in tomo tertio Spicilegij pag. 167.

Quoniam verò illustrissimus Archiepiscopus unicum exemplum attulit quoad investituras monasteriorum, Rotroci nimirum Comitis, haud inconveniens reor si ostendero Comites quoque Andegavenses, quorum praeiis illis temporibus magna dignitas erat, eodem jure usos esse in monasterio sancti Albini Andegavensis; cui interdum delegabatur Abbatem propriam auctoritate, interdum verò electis donum rerum temporalium tribuebant ante consecrationem. Patet illud ex aliquot veteribus actis quae extant in Chartulario ejusdem monasterij, quae haec edere visum est.

*Novimus quae praecipua &c. Quamobrem ego in Dei nomine Gozfredus Comes **** vel etiam nobilium personarum fidelium nostrorum, pro remedio videlicet anime nostrae, patrique, necne simul & matris. seu etiam pro reliquorum parentum nostrorum requie, delegamus Abbatem in monasterio sancti Albini nomine Gunterium, salva voluntate monachorum ibidem degentium: eisque licentiam concedimus ut post ejus obitum quemcumque voluerint Abbatem eligendi habeant potestatem &c.*

Omnibus in domo quibus est Christus vivere & mori lucrum &c. Notum esse volumus quòd anno DCCCCLXXXVIII. incarnationis dominicae recedens à loco sancti Albini Abbas Gunterius, quem pro fidelitate Dei & sua anime remedio nobilissimus inter suos Gozfredus Comes eidem loco praefecerat, & Romam, vel, quod majus est, matrem civitatum Hierusalem expetens gratia orationis, successorem sibi praefago spiritu providerit, cui animarum simul & corporum curam committeret, Rainaldum vita & morum probitate decorum, quem ipse in Christi nomine nutrierat, cum consensu tamen fratrum praefati loci & elegantissimi juvenis filij praedicti Comitis, qui in loco patris feliciter successit, nomine Fulconis &c.

Certum est omnibus qui fundamenta catholica puritatis noverunt &c. Quare nos fratres pauci in carnis nobis sancti Albini Andegavensis Episcopi Deo pro posse famulantes, quia vinculum pacis & signaculum Christianae disciplinae dilectionem per unitatem cordis vel anime possidere cupimus, elegimus fratrem quendam, morum probitate ornatum, nomine Theodericum, quem nobis vice Christi patrem praesse volumus, & in diffinitione ejus sententiarum nostrarum diversitatem univ; ne diversa sentientes, à Christi doctrina inveniamur extranei. Facta est autem ista electio consilio atque auctoritate Domini Alberti Abbatis Majoris monasterij, qui hoc in conventu monachorum ritu celebri peracto obtulit etiam fratrem praedictum Gaufrido praclarissimo Comiti, sub cujus ditione locus ipse consistit, à quo etiam donum re-

rum